



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Enchiridion quae docebit. 21

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

CAP. XIX. *Notantur, qui secus docent.*

1 Tim. 6. **S**I quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ; superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum corruptorum, & qui à veritate privati sunt, existimantium, quæritum esse pietatem.

CAP. XX. *Summa doctrina Christiana in Enchiridion contrahenda.*

Ex Conc. Afr. Prag. Augustana. **P**orro, cum secundum Evangelicam atque Apostolicam doctrinam, quibus decreta Patrum ac Conciliorum, denique pragmatica sanctio Augustana, merito accedunt, in Ecclesia Dei sola Canonica Scriptura ac divina eloquia, secundum Ecclesiasticam interpretationem sanctorum Patrum ac Doctorum & recitari & prædicari debeant: non abs re videbitur, Parochis summam Bibliorum paucissimis præscribere, ne alicubi, dum Scripturæ metas nesciunt, impingant.

CAP. XXI. *Enchiridion quæ docebit.*

ET, cum præcipuè ipsis incumbat, ut plebem erudiant in præceptis decalogi, articulis fidei, qui Symbolo Apostolico recensentur, ac Ecclesiæ Sacramentis, simul cum explicatione orationis Dominicæ; (hic est enim inchoationis Christi sermo, quo jacitur fundamentum ab operibus mortuis & fidei in Deum:) idcirco, ut imperitioribus consulatur, quoddam Enchiridion dabimus, in quo brevissime hæc omnia secundum sanam & Ecclesiasticam doctrinam exponantur; simul & loci quidam communes, ad omnes omnium hominum ætates ac ordines, commonitorii inferentur; veneratio quoque Sanctorum ac Reliquiarum, denique, quatenus imaginibus ac picturis utendum, docebitur. nec interim, quid sibi Ecclesiasticæ cærimonix, præsertim illæ piæ ac antiquissimæ, velint, & quo conducant, in eodem libello declarare omittemus; idque succinctissime.

CAP. XXII. *Ordo concionandi, quem simpliciores sequentur.*

Aug. de doctri. Christi. lib. 4. c. 30. **S**impliciores ac minus eruditi concionatores festis quibusque diebus concione in nomine sanctissimæ Trinitatis, cum imprecatione gratiæ Dei (nempe ut Dominus suum spiritum verbo addere dignetur) cæptâ, initio ambas lectiones, quæ Epistola ac Evangelium Missæ ejus diei appellantur, ad verbum denarrabunt. Deinde, post imploratam divini numinis clementiam, regrediantur ad utriusque lectionis brevem dilucidationem; locos aliquot communes ex utraque diligentes, quibus populus ad vitæ pietatem, charitatemque Dei ac proximi, inflammetur. Denunciabunt quoque, quid Ecclesia Dei eo die potissimum Deum oret ac precetur, quod in precationibus seu collectis, quæ post Canticum *Kyrie eleison*, aut *Gloria in excelsis*, dicuntur, continetur: ac hortabuntur populum, ut idem pariter, interea dum sacra aguntur, Deum oret, si non verbotenus, mentetamen.

CAP. XXIII. *Sanctorum historiae quatenus attingenda.*

Sanctorum historiis ne nimis diu immorentur: quin potior pars (uti jam diximus) Evangelio detur & Epistolæ explicandis. Quod si fabulosa videbitur historia, ne attingat quidem; si verisimilis, leviter; eaque decerpatur quæ imitanda videantur. Miracula quoque ne impudentius jactentur, nisi quæ Scripturis prodita, aut à non levibus scriptoribus, summa cum historiæ fide, tradita fuerint.

CAP. XXIV. *Allegoriæ quomodo explicanda.*

SI quas allegorias aut sensus Scripturæ reconditiores, spiritualia spiritualibus conferentes, adferre velint; has ex receptis Ecclesiæ Doctoribus, veluti Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Chrysostomo, ac similibus comprobatis autoribus, desument.

CAP. XXV. *Quomodo finienda concio.*

Vbi ad calcem concionis devenit, brevi epilogo, quo argumentum ac capita totius concionis renarret, utatur. Id enim ad captum ac fulciendam memoriam auditorum plurimum fecerit.